



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Sacramentalis communio quatuor præsupponit, ex parte summentis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

Communio sacramen. 57

transcriptione legitima ius hoc habeat. Et à mortali peccato non excusatur si notabile infert damnum alteri quod prudentiæ quæ circa singularia versatur, elinquitur iudicandum, attento loco, passu, multitudine, &c.

Sacramentalis communio quatuor præsupponit, ex parte sumentis.

Communio qua sacramentum Eucharistiæ sumitur, ex parte sumentis exigit quatuor, sine quibus peccat communicans. Primum est, ut sit mundus à peccato mortali: hoc est ut secundum suam conscientiam, præmissa diligenti contritione & confessione credat se mundum à peccato mortali. Et sine contritione quidem mortalis peccati cogniti communicans peccat mortaliter: quia indignè sumit, ac per hoc reus est corporis Domini inquit enim Apostolus, Probes seipsum homo, & sic de pane illo edat. qui enim manducat indignè, reus erit corporis Domini.

Sine confessione autem, si rationabilis subest causa non confitendi, excusatur communicans: quia præceptum de confessione præmittenda communioni non est de iure diuino, nec de iure positivo quum nullibi inueniatur, nisi semel in anno. Si autem comoditas adest confitendi, & habens conscientiam peccati mortalis differre vult confessionem, & nihilominus communicare, quia oportet ipsum cum aliis communicare, aut oportet ipsum celebrare, peccare videtur valde grauius: quia minus dignè voluntarius accedit, utpote ad Ecclesiasticæ vnionis sacramentum sine Ecclesiastica reconciliatione absque rationabili excusatione accedens. Non damno tamen ipsum peccati mortalis, propter rationem dictam. Secundum est, ut sit ieiunus ieiunio naturæ: hoc est quod à media nocte nihil sumpserit per modum

56 Communio sacramenti.

cibi vel potus: ita quod non solum debet esse ieiunus
a cibo & potu communi, sed ab omnibus etiam me-
dicinalibus quæ per os sumuntur.

Si autem sciens & aduertens aliquis non ieiunus
communicauerit, mortis articulo duntaxat excepto
mortaliter peccat, vt cõmuniter tenetur. Dixi autem
sciens, non propter ignorãtiam iuris de ieiunio com-
municandi, quum hoc ab omnibus sciatur, se propter
ignorantiam qua fallitur aliquis putans se esse ieiu-
num, quum verè non sit ieiunus. Contingit enim ali-
quos bonos viros credere, quod sumpta aliqua re a-
romatica (puta cinnamomo, vel nucem muscata, vel
aliquo eiusmodi) non sit fractum ieiunium, propterea
fortè quia non frangitur ex his ieiunium Ecclesiæ.
Imò à fide dignis accepi quendam bonum sacerdo-
tem multo tempore pro reuerentia sacramenti præ-
accepisse nucem muscatam, vt bonum odorem sto-
machi Eucharistiæ præpararet. Sciebat ille quod o-
portebat ieiunium communicare, sed nesciebat se non
esse ieiunium post sumptam nucem muscatam pro
reuerentia sacramenti, nesciens distinguere inter ieiu-
nium Ecclesiæ, & ieiunium naturæ. Excusatur ille à
peccato mortali contra ius positium, quia plus nesciebat,
in sua simplicitate gradens, & arbitrans se scire
quod omnes sciunt, scilicet quod ieiuni tantum debet
communicare: & propterea non erat sollicitus de fu-
ganda ignorantia illa. Dixi aduertens: quia si contingat
aliquem scientem omnia, post syrupum sumptum
communicare, non recolendo de sumpta portione, ex-
cusatur à mortali violatione iuris positivi, non enim
voluntariè communicauit non ieiunus, qui ex obli-
uione huiusmodi communicauit. Nec sunt tam arde
positiui iuris vincula interpretanda, vt inuoluntarias,
& quas nullo pacto sciens & prudens vir bonæ con-
scientiæ ageret operationes, imputemus ad mortem
æternam

Communio sacramen. 57

æternam ex obliuione aut simplicitate transgredien-
di materialiter tantum ius posituum, vt in vtroque
casu & similibus contingit. Dixi quoque per modum
cibi aut potus, aut differentiam eorum quæ trahun-
tur seu descendunt ad stomachum per modum sali-
uæ, vt sunt reliquix cibi inter dentes remanentes, &
alia huiusmodi. Hæc enim non violant ieiunium na-
turæ, sicut nec salua.

Tertium est tempus. De quo tria dicenda occur-
runt: scilicet quantum ad ætatem, quantum ad pascha,
quantum ad mortis articulum. Aetas peccantis si non
communice, est quum ad annos discretionis perue-
nerit, vt patet in capitu. omnis vtriusq; sexus. de pœ-
nit. & re. Et habetur communiter pro peccato mor-
tali huiusmodi omisso. Aduerte tamen hic, quod cō-
suetudo optima legum interpret, distinguit inter an-
num discretionis ad confitendum, & annum discre-
tionis ad communicandum: quasi ad confitendum
quælibet discretio sufficiat, ad communicandum au-
tem exigatur discretio deuota & reuerentialis. Nam
parentes curam puerorum & puellarum gerentes, ad
confitendum paruulos decem annorum cogunt, ad
communione autem communiter non mittunt nisi
post plures annos. Et licet præceptum Ecclesiæ ad ip-
sos pueros dirigatur: quia tamen ætas illa mediis pa-
rentibus iuris præcepta suscipit, ideo pueri qui ex pa-
rentum iudicio annum discretionis determinandum
expectant quò ad communionem, non sunt rei præ-
cepti violati, si non communicant etiam in quarto-
decimo aut quinto decimo anno, inferiora enim per
media, diuina prouidentia gubernat, & gubernanda
disposuit. Deberet tamen puer, si tantæ prudentiæ
est, deberent & parentes eius quum dubitant, confes-
sorem pueri consulere, si videtur ei quò ad commu-
nionem sit discretus. Excusantur quoque parentes à
violatione

58. Communio sacramenti.

violatione Ecclesiastici præcepti, si ob reuerentiam sacramenti seruant consuetudinem patriæ, vbi consueuerunt tardius pueri ad communionem admitti, quia videntur non debitam reuerentiam deuotionemque habere. Et ratio excusans est: quia lex ista quò ad hoc, non est ibi consensu vrentiũ cõprobara, & Prælati sciunt, & non reprehendunt. Tenetur igitur omnis vtriusque sexus quum ad annos discretionis peruenit, communicare semel in anno, hoc est in pascha. Et quantum ad hoc præceptum spectat, intelligitur pascha durare duobus hebdomadis, vt Eugenius quartus declarauit: ita quòd comunicas in hebdomada sancta, vel in hebdomada paschæ, aut in dominica immediatè sequente, satisfacit præcepto Ecclesiæ, Potest tamen de consilio proprii sacerdotis, ex rationabili causa differre ad tempus aliquod huiusmodi communionẽ, vt in Decretali patet. Omissio autem communionis paschalis, peccatum mortale est propter Ecclesiæ præceptum contemptum.

Vtrum autem in mortis articulo teneatur fidelis quisq; cõmunicare, in dubiũ non est vertendũ: quoniam consuetudo Ecclesiæ hoc mandat, & proculdubio peccat, quia sine rationabili causa absque viatico recedit. Si tamen cõtemptus desit, non video rationẽ peccati mortalis in huiusmodi omissione, ex quo paschalem communionem impleuit. Nec video etiã rationem dubitandi de peccato mortali: quoniam viaticum vt sic non est necessitatis sacramentum ex Ecclesiæ præcepto, quia nõ inuenitur, aut ex natura viatici, quũ sine illo pœnitentia sufficiat, sicut sine extrema vnctione. est enim necessariũ viaticũ sicut equus ad iter, & nõ sicut nauis ad transeundũ mare. Quartum est reuerentia & deuotio. Et reuerentia quidem consideranda ac seruãda est, vt nec post pollutionem nocturnam, nec post coitum coniugalem communi-

Communio sacramen. 59

Et quis illo die. Nam nisi ex rationabili causa eodem die aliquis comunicaret, peccaret, venialiter tamen: quia non debitam exhiberet sacramento reuerentiam. Et multo magis peccant, qui post continuata peccata mortalia hodie coteruntur & confitentur, & cras comunicant. Parum siquidem curare se monstrant de disponenda mente ad tantum sacramentum, qui quasi repente de assueta cibatione animi ex mundo & carne, in Unionem Christi per modum cibi praesumunt accedere, quasi spiritualis gustus statim sit acquisitus ab eis non tamen peccant mortaliter. Si mihi quoque peccato inuoluuntur, qui omittunt contritionem venialiter, ex quibus actualis feruor seu deuotio impeditur: quia non se parant ut debent ad hoc sacramentum. Reuerentia quoque corporalis adesse debet: ut scilicet genu flexus comunicet qui non celebrat, & postea non statim exeat, nec statim comedat. Deuotio uero actualis exigitur quod ad aliquid de necessitate scilicet quod ad appetitum huiusmodi sacramenti oportet enim vel tunc appetere, vel prius appetuisse suscipientem hoc sacramentum. Dico autem prius appetuisse, propter superuenientem aegritudinem: puta demenciam, aut phrenesim, aut insensibilitatem, cum periculo mortis. nam mentis compotes debent actualiter appetere. Et haec dicimus quod ad Ecclesiam. Coram Deo autem tenentur mentis compotes ad deuotionem actualem, non per solam voluntatem comunicandi, sed per meditationem & uoluntatem pascendi animam suam de Christo: hoc est de morte Christi, de uita Christi, de imitatione Christi, de humilitate, patientia, constantia, charitate &c. Christi: quia si deuotio actualis non procuratur, non se parat homo quantum in se est, ad hoc sacramentum ut debet: quia non se parat ad actualiter masticandum spiritali masticatione cibum animae, quae corpus Christi est.

Minister